



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. IV. Quis sit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis
prohibeantur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

II. Qui in usum profanum à Clerico bona accipit dono ex superfluis, potest excusari à peccato, si eum non induxit ad talem donationem, neque per eam Clericus redditur impotens, ad superflua expendenda in usus pios, v. C. *Lugon. 40.* Quia Clericus ex patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus potest substituere.

III. Clerici quidem ex consuetudine multis locis recepta, licite possunt testari de redditibus Beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias: nisi enim ubi consuetudo invaluit, etiam in usus profanos valide testentur, peccant tamen mortaliter. v. *Less. l. 2. c. 19. d. 4. Laym. l. c. Bon. d. 4. p. 3. n. 2 & 5. Trid. sess. 2. c. 1. de ref. & sequitur ex dictis. Nisi tamen fecerint cum facultate Papæ; quæ licet superveniat testamento jam condito, facit tamen illud convalere. Sanch. Salas, *Dian. p. 8. t. 3. R. 99. v. supra l. 3. t. 5. c. 4.**

DUBIUM IV.

Quis sit habitus Clericorum, quæ artes, officia, actiones iis prohibeantur?

Resp. I. Clericos majoribus ordinibus initiatos, vel etiam minoribus, si habeant Beneficium, quoad habitum obligari ad ferendam tonsuram, & vestem Clericalem, quæ non debet esse virgata, in qua diversi coloris virgæ ducantur, nec partita seu dissecta.

Resp. II. quoad artes, prohibetur macellarium, tabernariorum, jaculatorum, quorum etiam ludis, uti & hastiludiis, prohibentur interesse. Item medicorum aut chirurgorum, ubi opus in-
cissione

cifione aut aduisione, nisi, ut habet *Navar.* erga pauperes, aut propinquos, aut in necessitate.

Resp. III. Quoad officia, prohibetur (si sint Beneficiati, vel initiati sacris) officium Judicis in causa sanguinis, Advocatorum, Patronorum, Tabellionum, seu Notariorum, in placitis secularibus. Quod addo, quia in specialibus quibusdam casibus hæc licent, v.g. advocare pro Ecclesia, pro personis non debet se immiscere negotiis secularibus, *Sayr. l. 18. c. 25. n. 6* (qui tamen concedit instrumenta ab eo facta valere,) *Bon. in præcep. d. 10. q. 3. p. ult. Lay. l. 2. t. 1. c. 8. n. 4.* & notat, consuetudine inductum esse, ut officio Cancellarii, Consilarii, imò etiã Judicis fungi possint in causis civilibus.

Resp. IV. Quoad actiones, prohibentur arma portare, nisi in itinere, tabernas intrare, venationi clamoræ vacare (quod addo, quia venatio sine strepitu, recreationis causa permittitur) accipitres vel falcones alere pro venatione, aleis aut taxillis ludere, mercaturam aut negotiationem lucris causa, (non tamen necessitatis) exercere, cohabitare mulieri, nisi sit mater, soror, amica, aut certe talis, quacum nullum periculum aut scandalum imminuat. *Less. l. 2. c. 5. d. 9. n. 40. Cajet. tamen v. Clericis,* contra *Angl. & Nav.* docet horum & similium transgressionem non esse mortalem, si absit temeritas, contumacia, contemptus & scandalum, *v. Laym. lib. 5. tr. 8. cap. 12. n. 2. & 3.* Nec refert, an, quod transgressor sit excommunicandus; quia hæc poena est sententiæ ferendæ, quam non nisi contumax post monitionem incurrit. Quod tamen univèrsim *Nav.* putat esse laxius, maxime

eum Canones utantur verbo, *præcipio*. Unde ait esse mortale, si habitum vel tonsuram non gestent. Quod restringit *Bon. disp. 8. de sacram. q. 1. p. ult. n. 8.* si sint initiati majoribus ordinibus, aut habeant Beneficium, & tonsuram, vel habitum longo tempore, absque iusta causa, non gestent, tuac enim peccare mortaliter; citat que pro se *Rogin. Navar. Henrig. Vasq.* Negat tamen *Sylv. & Laym. l. c.* si non sit notabilis excessus supra loci consuetudinem. Negotiari verò esse mortale, concedit idem *Laym. lib. 3. tr. 4. c. 17.* & alii commun. Sed de hoc vide supra *lib. 3. cap. 3. dub. 7. de emptione & venditione.*

CAPUT III.

De statu & officio personarum secularium quorundam, præsertim judicialium.

DUBIUM I.

Quæ requiruntur ad legitimum iudicium?

Resp. Hæc tria. Primum est. Jurisdictio, sine qua sententia nulla est, & peccatur mortaliter, ut ex *D. Thom. 2. 2. q. 60.* habet communis. Quare peccat Judex sæcularis, si personas, aut causas mere Ecclesiasticas, ad se trahat: uti & Ecclesiasticus, si mere civiles. Nisi forte per accidens, ob defectum justitiæ in foro sæculari, aut nisi sint causæ miserabilium personarum. Porro quæ causæ dicantur mere civiles, quæ Ecclesiasticæ, & quæ